



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus IV. Argumentum. Patronus, qui post datum mandatum procuræ ad præsentandum, donat alicui Juspatronatus, per hujusmodi donationem non censetur revocare mandatum procuræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

ARGUMENTUM.

Patronus, qui post datum mandatum Procuræ ad præsentandum, donat alicui Juspatronatus, per hujusmodi donationem non censetur revocare mandatum Procuræ.

SUMMARIUM.

- 1 Patronus, qui post factum mandatum ad præsentandum, donat Juspatronatus, per hujusmodi donationem non dicitur revocare idem mandatum. *Amplia, ut num. 3. & 5.*
- 2 Ius præsentandi per donationem non transfertur privativè, sed cumulativè cum donante.
- 4 Patronus Ecclesiasticus non potest cumulativè variare.

CASUS IV.

Quidam Patronus dedit uni mandatum Procuræ ad præsentandum ad Beneficium vacans, & immediatè post donavit Jus præsentandi personæ Ecclesiasticæ; habens mandatum Procuræ præsentavit Titium; Illa verò Persona Ecclesiastica Donataria postea præsentavit Cajum. *Quæritur. Quis ex his duobus instituendus est ab Episcopo?*

- Pro cuius resolutione censeo de Jure respondendum, quòd in hoc Casu sit instituendus ab Ordinario Titius ad exclusionem Caji præsentati à Donatario; quia Patronus qui post factum mandatum ad præsentandum donat Juspatronatus, non dicitur revocare mandatum ad præsentandum, sed transferre proprietatem Juspatronatus in perpétuum favore Donatarii, immo per donationem censetur translatum Jus præsentandi non privativè, sed cumulativè cum Donante, cujus proinde præsentatio, seu mandatum non censetur revocatum *conf. Decii § 42. de quo late Gonzal. ad regul. 8. §. 2. Proemial. num. 32. Rota decis. 385. num. 8. part. 1. Diversor. & meus Advocatus Pitonius discept. Ec-*

cles. quarta; sub num. 65. par. prima. Eoque magis, quia Procurator non fuit intimatus, neque denunciatus de aliqua revocatione ad *Text. in Clem. 1. de renunciati. Lambertin. de Iurepat. lib. 2. part. 1. quest. 4. art. 14. num. 4.*

Unde persona illa Ecclesiastica Donataria, non poterat in hoc Casu præsentare Cajum nec privativè, nec cumulativè cum Titio, quia dictum Juspatronatus per donationem factam favore personæ Ecclesiasticæ effectum est Ecclesiasticum, quod est talis naturæ, ut Patronus Ecclesiasticus non possit cumulativè variare, juxta *Vivian. de Iurepat. lib. 10. cap. 1. num. 27. & 28.* sed solum poterat adhærere præsentationi factæ per Procuratorem.

Quæ omnia fortius procederent si in mandato Procuræ ad præsentandum legeretur obligatio non revocandi Procuratorem, sed habere ratam, & gratam præsentationem faciendam ab eo. *Lambertin. de Iurepat. lib. 2. par. 2. quest. 7. art. 16. num. 4.*

ARGUMENTUM.

Præsentatio facta cum pactis, & conditionibus contrariis dispositioni Juris est illicita, & Simoniaca. Renunciatio facta in manibus Patroni Laici est nulla.

SUMMARIUM.

- 1 In præsentatione, aut collatione apponi non possunt pacta, & conditiones contraria dispositioni Juris.
- 2 Pactum est illicitum, & Simonicum, quando apponitur circa Spiritualia, vel Spiritualibus annexa.
- 3 Pactum: Che il Canonico stando assente dalla Residenza per un'anno, s'intenda per la detta assenza da lui medesimo rinunciato il detto Canonico: *An contrarietur Concilio Tridentino.*
- 4 Apposito pacto in præsentatione cum conditione, quòd sit licitum, Præsentatio dicitur pure, & simpliciter facta,